

14. *Et vere possederit.* — Et dicitur, « vere possederit. » Nam si quis solummodo rem detineat, aut si tantum in possessione, v. g. custodiæ causa, revera autem non possideat, et postmodum inde vi expellatur; etiam huic non competit interdictum *Unde vi*. Siquidem hoc interdictum non datur, nisi possidenti dejecto, cit. l. 1, § *Hoc interdictum*, et § *Interdictum autem*, ff. de *Vi et vi armat.* Tales autem non possident, sed tantum detinent. Speculator, tit. *De primo decreto*, § *Jam de effectu*, n. 14, cit. dist. 7, n. 38, et alii: qui tamen recte notant, talibus posse subveniri per alia remedia recuperandæ possessionis, de quibus infra § seqq.

15. *Colono, inquilino, vel procuratore possessione rei immobilis domini sui vi dejecto, interdictum Unde vi competit domino, non colono.* — Resp. II. Quando colonus fundo, inquilinus domo, aut procurator e possessione rei immobilis domini sui vi dejectus est, tunc interdictum *Unde vi* non istis, sed domino principali competit. Ita communis; et habetur expressum d. l. 1, § *Dejicitur*, et § *Quod servus*, ff. de *Vi et vi armat.* In quo posteriori loco sic dicitur: « Quod servus, vel procurator, vel colonus tenent, dominus videtur possidere: et ideo his dejectis, ipse ejici de possessione videtur. » Accedit ratio, quia illi rem tantummodo detinent, non autem possident; sed quod illi tenent, dominus possidere videtur (nam is possidet), cujus nomine possidetur, c. *Cum venisset*, 9, § fin. h. t. et l. *Quod meo*, 18, § 1, ff. de *Acquir. possess.*; ac proinde illis dejectis, ipsemet dominus de possessione dejici censetur, cui proin competit istud interdictum *Unde vi*, non illis, per jura jam allegata.

16. *Dummodo non fuerit conductor ad longum tempus, emphyteuta, vassallus, usufructuarius. Et cur?* — Intellige, dummodo talis non fuerit conductor fundi, sive domus ad longum tempus, puta ad decennium; nec emphyteuta, vassallus, usufructuarius, vel usurarius. Siquidem usufructuario, imo et usurario, si spoliati fuerint, competit interdictum *Unde vi*: ex quacumque enim causa constitutus est usufructus, vel usus, hoc interdictum locum habebit, l. III, § *Unde vi*, et § *Uti frui*, ff. de *Vi et vi armat.* ac notat Jason in l. *Naturaliter*, n. 15, ff. de *Acquir. possess.* Menochius de *Recuperanda possessione*, remed. 1, n. 68 et seqq., citans alios. Ratio est, quia tales habent dominium utile fundi; ac

proinde, cum sint in quasi possessione juris utendi vel fruendi, sive domini utilis, cit. l. *Naturaliter*, § 1, ff. de *Acquir. possess.*, recte ipsis, quando ex tali possessione juris, seu domini utilis dejecti fuerunt, datur interdictum *Unde vi*. Idem dicendum de conductore rei immobilis ad longum tempus, ut puta, ad decennium: siquidem locatio ad longum tempus, est quædam alienatio domini utilis, c. *Nulli, de Reb. Eccles. non alien.*, cum concordantiis; ac proinde possessio dicti domini utilis, est penes ejusmodi conductorem: unde hic super tali jure poterit agere tam possessorio, quam petitorio judicio, et quidem suo nomine. Menochius d. num. 68; Pirhing h. t. n. 4, aliique.

17. *Solvuntur instantiæ.* — Dices: Etiam mero inquilino, vel colono, quamvis non conduxerit rem ad longum tempus, si spoliatur a tertio, competit istud interdictum *Unde vi*; ergo. Antecedens probatur ex l. *Colonus*, et l. *Cum fundum*, ff. de *Vi et vi armat.* Resp. neg. anteced. per jura in conclusione allegata. Ad ejus probationem, atque ad l. *Colonus*, et l. *Cum fundum*, ff. de *Vi et vi armat.* dicitur, ibi sermonem esse de colono, qui prius intervertit possessionem, et non amplius domino, sed sibi possidere cœpit: nam si talis post possessionem domini intervertit rem spoliatur a tertio, tunc contra tertium istud dejectum datur tali colono interdictum *Unde vi*, non domino; quamvis dominus postea habeat regressum, atque interdictum istud contra colonum, qui se antea dejecit, suamque possessionem intervertit. Glossa in d. l. 1, § *Dejicitur*, §. *Si colonus*, ff. eod. Menochius cit. remed. 1. de *Recuperand. possess.* num. 66, citans alios; Pirhing h. t. num. 3.

18. *Solvuntur instantiæ.* — Nec dicas: Si usufructuario, vel conductori ad longum tempus, competit interdictum *Unde vi*: cur non idem dicendum de colono, vel conductore ad breve tempus? cum etiam talis vi locationis censeatur acquisivisse jus utendi, fruendi, istudque jus possidere. Resp. disparitatem esse: quia ibi intervenit vera alienatio domini utilis, istudque suo nomine possidet usufructuarius, usurarius, vel conductor ad longum tempus. Secus dicendum in colono, vel conductore ad breve tempus: nam per locationem fit solum concessio rei ad usum certa mercede interveniente, non autem transfertur dominium utile: et hinc colonus, seu conductor hujusmodi solummodo rem deti-

net, nempe ad usum, non autem possidet. Dominus enim est, qui possidet per jura num. 15 allegata, cui proinde soli facta spoliatione competit interdictum *Unde vi*. Poterit tamen colonus spoliatus tunc alio remedio sibi consulere, ac præsertim officio judicis. Menochius cit. remed. 1, de *Recup. posses.* n. 62, et amplius patebit ex dicendis § seq. per totum.

19. *Interdictum Unde vi competit adversus eum qui dejecit, vel spoliari jussit, aut spoliationem ratam habuit.* — Quæritur IV. Contra quem competat spoliatis interdictum *Unde vi*? Resp. I. Interdictum istud competit adversus eum, qui alterum possessione sua vi dejecit, seu spoliavit, l. 1, § 1, ff. de *Vi et vi armat.* Deinde adversus eum, qui mandavit, vel jussit, ut aliquis deiceretur, dummodo effectus fuerit secutus: siquidem parum refert, suis manibus quis deiciat, an per alium, d. l. 1, § *Dejecisse*. Item adversus eum, qui dejectionem, sive spoliationem suo nomine factam, ratam habuit: nam ratihabitio in maleficiis comparatur mandato, d. l. 1, § *Sed et si*, ff. eod. Concordat c. *Cum ad sedem*, 15, § fin. h. t., ubi Pontifex negat interdictum *Unde vi* in casu illius decretalis locum habuisse, eo quod reus nec spoliaverit, nec spoliari mandaverit, nec spoliationem ratam habuerit: et consequenter, argumento a sensu contrario desumpto, quodlibet horum ad illud sufficisset, ac sufficit.

20. *Et qui clam ordinavit dejectionem, aut ejus familia vi alterum possessione sua dejecit.* — Resp. II. Interdictum *Unde vi* datur etiam contra eum, qui clam fecit, sive ordinavit dejectionem alterius a sua possessione, l. *Si vi me dejeceris*, ff. de *Vi et vi armat.* et l. *Competit*, § fin. ff. *Quod vi aut clam*. Item contra eum, qui fraudulenter persuasit, sive dolo malo fecit, quod quis armis deiceretur, l. *Idem est*, 3, § *Hoc interdictum etiam*, ff. de *Vi et vi armat.* Et merito: quia talis re ipsa non differt a mandante, vel consulente dejectionem. Competit insuper adversus eum, cujus familia vi dejecit, licet ipse dominus non jusserit, text. clar. l. 1, § 1, et § *Quod ergo*, ff. eod.

21. *Et qualiter hoc postremum procedat?* — Solum hic notandum est, quod in isto posteriori casu dominus, qui non jussit, nec ratam habuit dejectionem (nam si unum horum intervenisset, ipsemet dejecisse censeretur, juxta dicta num. 19, non teneatur restituere omne id, quod spoliatus ibi habuit, et amisit:

sed sufficiat præstare factum suorum servorum, qui dejecerunt; nimirum restituendo id, quod ad ipsum dominum pervenit; aut si nihil pervenit ad eum, servos maleficii causa noxæ dedendo: nam hoc facto dominus erit immunis, nec amplius gravari poterit, prout habetur decisum in cit. l. 1, § *Quod ergo*, juncta Glossa ibid. §. *Erit*, ff. de *Vi et vi armat.*

22. *An contra tertium possessorem, qui rem spolio ablatam scienter recepit, detur interdictum Unde vi? Refertur fundamentum sententiæ affirmatiæ.* — Quæritur V. An contra tertium possessorem, qui rem a spoliatore invasam scienter recipit, competit interdictum *Unde vi*? Glossa in c. *Cum ad sedem*, §. *Interdictum*, h. t. videtur affirmare, id probans ex c. *Sæpe*, 18, eod. idemque tenuit Goffredus, ut refert Abbas in cit. c. *Sæpe*, num. 8. ac sequitur Barbosa in collectan. ad d. c. *Sæpe*, n. 2, h. t., citans alios pro hac sententia. Et ratio esse potest: quia in d. c. *Sæpe*, h. t. Pontifex cum concilio generali sancivit, quod « contra possessorem » illum, qui scienter rem invasam a spoliatore recipit, « spoliato per restitutionis beneficium succurratur. » Atqui per istud restitutionis beneficium intelligitur interdictum *Unde vi*; nam de hoc ibidem est sermo, ut patet ex contextu, ac præsertim ex verbis illis præcedentibus. « Non obstante juris civilis rigore: » ergo. His tamen non obstantibus,

23. *Sententia negativa probatur.* — Resp. breviter. Interdictum *Unde vi* non datur contra tertium possessorem, qui rem a spoliatore invasam, scienter recepit; sed contra ipsum subvenitur spoliato per aliud remedium (infra num. 27, et seqq. declarandum) quod appellatur *Condictio*, ex c. *Sæpe*, h. t. Ita Abbas in cit. c. *Sæpe*, num. 8, et Jo. Andreas ibid. num. 5, n. t. asserens, quod quidquid alii dicant, spoliatus succumberet, etiam secundum canones, si proponeret interdictum *Unde vi*; Alexander, consil. 94, n. 12, et 15, vol. 5; Zoesius h. t. n. 4; Pirhing eod. num. 104; Maranta, part. IV *Speculi aurei*, dist. 7, n. 36, citans alios. Fundatur hæc sententia in l. *Cum ad te*, ff. de *Vi et vi armat.*, ubi clare dicitur, quod in eum, qui non spoliavit, minime intentetur interdictum *Unde vi*, illis verbis: « Cum a te vi dejectus sim, si quis eandem possessionem possidere cœperit, non possum cum alio quam tecum interdictum experiri. » Quam legem Bartolus ibidem appellat notabilem. Concordat c. *Cum ad sedem*.

§ fin. 15. h. t. ubi Pontifex ex eo, quod quis non spoliaverit, nec mandaverit spoliari, nec spoliationem ratam habuerit, pronuntiat, in questione illa interdictum *Unde vi* eam non habere. Atqui in illo, qui rem a dejectore seu spoliatore invasam acquisivit, etiamsi eam scienter receperit, nullum horum trium intervenit; ergo nec contra eum potest intentari interdictum *Unde vi*.

24. *Solvitur fundamentum prioris sententiae.* — Nec obstat cit. c. *Sæpe*, h. t. Cum enim expediat jura juribus concordare, et eorum correctiones, si fieri potest, evitare, c. *Cum expediat*. 29. de *Elect.* in 6; hinc dicendum, quod Pontifex in cit. c. *Sæpe*. 18. h. t. non intenderit, spoliatis contra tertium detentorem rei spoliatae concedere interdictum *Unde vi*: (hoc enim pugnat contra cit. l. *Cum a te ff. de Vi et vi armat.* imo et contra d. c. *Cum ad sedem*. h. t.); sed quia non multum interest quoad periculum animæ, injuste detinere, ac alienum invadere, solummodo voluit Papa providere de novo remedio recuperandæ possessionis, quod appellant *Conditionem*, ex c. *Sæpe*. de *Restitut. spoliat.*, de quo mox plura. Nam hoc ipsum satis denotat ly «Sancimus» (hoc est, de novo constituimus) quod utitur Pontifex cum concilio generali in cit. c. *Sæpe*. n. t., ac notat Abbas ibid. n. 8. eo præsertim, quia per tale remedium et sufficienter providetur spoliatis, et præcavetur periculo animæ tertii scienter rem spoliatam detinentis. Ac per hoc patet ad rationem prioris sententiæ num. 22. allatam: negatur enim minor. (ADNOTATIO XLV).

§ II.

DECLARANTUR ALIA REMEDIA SPOLIATORUM
IN SPECIE.

25. *Cætera remedia recuperandæ possessionis, non dicuntur interdicta; et cur?* — Cum præter interdictum *Unde vi* dentur plura alia remedia spoliatorum, seu recuperandæ possessionis, quæ superius num. 3. jam sunt enumerata: viso de interdicto *Unde vi*, oportet alia quoque breviter declarare. Solum nota cum Maranta part. IV *Speculi aurei*, dist. 7. num. 29, citante Bartolum, Alexandrum, et alios in l. *Rem quæ nobis*. ff. de *Acquir. possess.* quod cætera ejusmodi remedia recuperandæ possessionis, non dicuntur interdicta (interdictum enim est actio in factum prætorum, hoc est, a prætore inventa;

estque unicum recuperandæ possessionis, nempe interdictum *Unde vi*), sed appellantur *Conditiones ex lege*.

26. *Conditio, et condicere, quid? Conditio ex lege, quid?* — Cæterum *Conditio* quantum ad propositum, aliud non est, quam actio in personam. *Condicere* enim idem est, ac rem suam in judicio petere personam pulsando, sive inquietando, et ipsam dicendo sibi obligatam esse ad aliquid dandum, vel faciendum; quod idem est, ac per actionem personalem aliquid ab eo petere. Unde *conditio*, sicut et *vindicatio* (recentiores legunt *vindicatio*) ad rei recuperationem pertinent: cum hoc tamen discrimine, quod *vindicatio* sit rei singularis atque actio in rem; *conditio* autem sit actio personalis, sive actio in personam. Hinc *Conditio* ex lege idem est, ac personalis actio, quæ ex lege aliqua (istam exprimens) cuiquam datur ad recuperandam rem, vel ejus possessionem. Et talis est multiplex; prout fatisissime declarat Menochius in *Commentariis de Recuperanda possessione*, et Maranta part. IV. *Speculi aurei*, dist. 7. n. 39. ac patet ex dictis num. 3. et seqq. ubi nonnullas conditiones nunc declarandas retulimus. Igitur post interdictum *Unde vi*.

27. *Conditio ex c. Sæpe, de Restit. spoliat., in quo consistat?* — Secundum remedium spoliatorum, seu recuperandæ possessionis habetur *Conditio* ex c. *Sæpe*. 18. de *Restitut. spoliat.*, quod est valde proficuum, et notabile. Siquidem antiquitus per interdictum *Unde vi* non satis consulebatur spoliatis: quando enim res spoliata per spoliatorem in alium translata fuit, sive titulo venditionis, sive donationis, aut alio hujusmodi; tunc possessori dejecto, sive spoliato, non subveniebatur per interdictum *Unde vi*, utpote quod conformiter dictis num. 23. contra tertium possessorem non dabatur: ex quo sæpe contingit, quod prior possessor amisso possessionis commodo, et postmodum deficienti in probatione juris proprietatis, quod est difficillimæ probationis, amiserit totam causam, ipsamque rei proprietatem. Hisce igitur incommodis præcavere volens Romanus Pontifex, una cum concilio generali (hoc est, Lateranensi, sub Innocentio III. celebrato, ac in d. c. *Sæpe*. 18. h. t. relato) sancivit, «Ut si quis de cætero scienter rem talem receperit, cum spoliatori quasi succedat in vitium (eo quod non multum intersit quoad periculum animæ, injuste detinere, ac invadere

alienum contra possessorem hujusmodi), spoliato per restitutionis beneficium succurratur.» Hæc ibi.

28. *Datur contra quemcumque tertium possessorem, qui rem invasam scienter, et a quocumque recepit.* — Ex quibus verbis licet, quod spoliatus *Conditione* d. c. *Sæpe* h. t. agere possit contra quemcumque tertium possessorem, qui rem invasam scienter (hoc est, sciens rem illam fuisse ab alio spoliatam) recepit: adeo, quod ipse cogatur illico rem ablatam restituere, quamvis spoliatus non probaverit ejus proprietatem, sed dumtaxat spoliationem. Et hoc procedit, etiamsi res spoliata per multas manus transierit: ut proinde, quicumque rem raptam, sciens ipsam esse raptam, a quocumque receperit, teneatur hac decretali, licet res illa per mille manus transierit: adhuc enim urget ratio dictæ decretalis, quia videlicet parum interest quoad periculum animæ, injuste detinere, ac alienum rapere. Innocentius cit. c. *Sæpe*, et Abbas ibid. n. 15. h. t.; Vallensis h. t. § 2. n. 2 et 3; Sannig eod. cap. III. nu. 2 et seqq., et alii.

29. *Secus, si ignoranter.* — Additur vero in relata decretali, «scienter.» Nam secus foret dicendum, si quis ignoranter, bona fide, hujusmodi rem spoliatam accepisset; ut notat Glossa ad cit. c. *Sæpe*. §. *Scienter.* et Abbas ibid. n. 12. h. t. Nam textus allatus aperte requirit scientiam: simulque se fundat in periculo animæ, sive peccato recipientis, quod excluditur per bonam fidem, qua quis ignorans recepit alienum.

30. *In dubio præsumitur ignorantia, nisi invasio sit notoria.* — In dubio autem, an quis hoc sciverit, præsumitur ignorantia; eo quod sit factum alienum, circa quod «præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur,» juxta reg. 47. juris in 6. et doctores ibidem. Intellege, nisi invasio notorie facta fuerit: nam tunc præsumitur scientia, nisi probetur ignorantia, arg. cap. 1. de *Postulat. prælat.* Idem dic, si recipiens spoliatum erat spoliatoris vicinus, c. *Quosdam.* et c. *Quanto, de Præsumpt.* aut nisi aliæ hujusmodi conjecturæ concurrant. Abbas in d. c. *Sæpe*. num. 14. h. t.

31. *Conditio ex can. Redintegranda 3. q. 1., declaratur.* — Tertium remedium recuperandæ possessionis, quod a Pragmaticis appellatur «Remedium redintegranda,» habetur *Conditio* ex can. *Redintegranda*. 3. q. 1. ubi spoliatis, vel ejectis episcopis, omnia sive mobilia, sive immobilia, in eodem loco,

ubi sibi erepta fuerunt, redintegrari, sive restitui jubentur; et quidem ante accusationem, adeo ut spoliatus ante factam restitutionem omnium sibi ablatorum accusari non possit, et accusatus in synodo spoliatoribus respondere non teneatur, antequam omnia sibi fuerint restituta. Et hoc procedit a quacumque conditione temporis, aut captivitate, aut dolo, aut violentia majorum, aut per quas-cumque injustas causas, res Ecclesiæ, vel proprias, aut substantias suas perdidisse noscuntur; » prout loquitur textus in cit. c. *Redintegranda*. 3. q. 1.

32. *Extenditur ad quoscumque clericos.* — Atque remedium istud, licet ex professione loquatur de expoliatis, et ejectis episcopis; tamen ob paritatem rationis, favoremque religionis, communiter extenditur ad alios clericos, qui vel suas, vel ecclesiæ suæ res injuste perdidisse noscuntur: et competit ipsis contra quemcumque talium rerum possessorem, sive bona sive mala fide possideat, et sive scienter sive ignoranter, sive cum vitio, sive absque vitio, sive cum titulo, sive sine titulo res illa ad ipsum pervenerit. Unde remedium istud est plenissimum, et magis generale, atque utilius inter omnia remedia possessoria; simulque concurrunt cum aliis remediis possessoriis. Alexander, consil. 91. n. 22. vol. 5; Maranta part. IV *Speculi aurei*, dist. 7. num. 38; Vallensis h. t. § 3. n. 1; Sannig eod. cap. IV. n. 1, et alii. Ac procedit contra quemcumque possessorem, etiam ignorantem, et non vitiosum. Abbas c. *Cum ad sedem*. n. 26. h. t., post Innocentium in c. *Querelam, de Elect.*; Hostiensis in *Summa* h. t. § *A quo peti possit*. n. 6. vers. *Sed conditio*; Bartolus in l. *Rem quæ nobis*. § *Quæro quia prædicta*. ff. de *Acquir. possess.*, et alii. Verum occasione præmissorum.

33. *An etiam competat laicis pro recuperandis rebus profanis? Proponitur sententia negativa, una cum suis rationibus.* — Queritur. I. An remedium *Redintegranda* æque competat laicis pro recuperandis rebus profanis, sicuti clericis pro rebus ecclesiasticis? Resp. in resolutione hujus questionis variare doctores. Et quidem Glossa in c. *Cum ad sedem*, § *Interdictum*, h. t. et Joan. Calderinus ibid. et nonnulli alii apud Menochium *de Recuperanda possessione*, remed. 15. n. 16 et 17 citati, partem negativam tenent. Ratio eorum est, quia in cit. can. *Redintegranda*. 3. q. 1. fit mentio dumtaxat de episcopis, veluti personis ecclesiasticis, et specialiter privilegiatis; sic-